

2018
I. N. J.
DISPUTATIO MEDICA

de
INCUBO

quam Præside

*Amplissimo, Praclarissimo, Excellentissimo
atque Experientissimo*

VIRO

DN. MARCO BANZERO,

Augustano, Med. Doct. ac Profess. Publ.

Celeberrimo, Facult. Med. Seniore venerando,

Domino Fautore, Promotore ac Pa-

trono suo plurimum


colendo,

Publicæ & placidæ ventilationi sistit

AUGUSTUS WANCKEL, Dresd.

ad diem Martii

In Auditorio Medicorum,



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typ.

ANNO M. DC. LI.

Pathol. spec.

509,46

nov. spec 1932

INVENTARIO

DE MARCO BAZZANO

ALBERTO WINKEL D. M.

Typis Joannis Runkel Acad. Typ.

ANNO M. DC. LII



I. N. J.

Diffusum est morborum in corpus humanum imperium, nullum ejus membrum à sævitià illius securum est. Ita omnes articulos corporis humani ejus Tyrannis exercet, ut totus homo morbus rectè dicatur à Democrito. Trecenti & sexaginta quinque dies annum absolvunt, totidem articulis quoque structuram corporis humani superbire quidam asserunt Anatomici. Verùm quælibet particula peculiari infestatur hoste. Et caput suos habet inimicos. nec auribus defunt eis qui insultent hostes, peculiare experitur inimicitias collum, non securum est hostium pectus, dorsum, & reliqua membra; ita planè verum est: Totus homo morbus. Quemadmodum enim mors cum vità nostrà incipit, dum enim

A 2

ori-

orimur, etiam morimur: sic & morbi
 mortis nuncii perpetuò vitam, insequi-
 tur nostram; Inter cætera verò morbo-
 rum genera & hoc famosum symptoma,
 quod Incubum vocamus; Cujus naturam
 jam investigabimus, ut diligentius caveri
 possit. DEUS annue cæptis.

L. de morb.
 cap. 30.

d. 1.

1, Symptoma, igitur, quod tractandum suscepimus
 Græcis dicitur ἐφιάλτης ἀπὸ τῆ ἐφάλλεσθαι, ab insiliendo
 vel à verbo ἰάλλω extendo, quod quis se super hominem,
 extendens, incumbere, ac quasi inequitare illi videatur,
 teste *Heurnio*. *Themisoni* vocatur πνιγαλίων ἢ πνεγίσθαι,
 quod idem est ac suffocari, quia hoc malo correpti, in suffo-
 cationis periculo versantur. Latinis Incubus, ab incum-
 bendo, quoniam æger sibi aliquem incumbere & se preme-
 re imaginatur. Aliis nocturna suffocatio: nam ponde-
 re suo pressos gravat, ac prævocat. *Plinius* appellat malum
 dæmoniacum, quia, licet falsò, putarunt olim, dæmonem,
 nocturno tempore homines insilire & turpem libidinis u-
 sum ab iis exigere. Quamvis planè negandum non vi-
 deatur, diabolum, utpote hominum hostem acerrimum,
 omnis generis mala machinari, quibus miseros in varia pe-
 ricula præcipitare queat, & hinc etiam hoc affectu uti pro
 torsionis instrumento, ob id etiam taliter affectis falsum
 commistionis imaginationem (unde Incubi & succubi)
 proponit: tamen hoc malum pro solo diaboli effectum
 habendum non est, quia causas in Naturâ fundatas habet.
 Unde *Heurnius* duplicem hujus affectus agnoscit causam,
 unam naturalem, quâ à vitiosis vaporibus ortum ducit:
 Alteram dæmoniacam, de quâ hanc refert historiam: Me-
 mini, inquit, dum puer essem, me cubare apud Matronam
 quan-

592
quandam optimam, cum dormiret, ei, super stragula, vir
niger mihi incumbere visus, manè querebatur incubone,
se infestatam fuisse. Ego quamvis puer, nihil de nigro il-
lo audebam indicare, quòd minitari, siquid protulissem,
visus mihi fuisset. Germ. Der Alpe/ die Maare oder das
Nachtmännlein. Missis aliorum hujus affectus variis ap-
pellationibus, missis etiam diaboli iniquis technis, illum
Incubonem, qui Naturæ ortum suum debet, publicæ &
placidæ ventilationi sistimus.

II. Definitur Incubus hoc modo: Incubus est respi-
rationis offensio, & vocis interceptio, corporisque impres-
sio, seu motus impedimentum, cum falso insomnio pon-
deris thoraci incumbentis, à vapore crasso, posteriora potif-
simum cerebri obstruente, ut spiritus animales ad liberam
respirationem, vocem & motum edendum prodire ne-
queant.

III. *Formale* sive *Genus* nostræ definitionis posuimus
respirationis offensionem. Obstructis enim, à vapore
crasso, meatibus posterioribus cerebri, læduntur facultates
animales, imprimis verò facultas motrix, quæ ad respirati-
onem & vocem edendam necessariò requiritur, valdè labo-
rat, imò secundum *Aëtuarium* planè aboletur. Hinc
quia respiratio, quæ somno est necessaria, offenditur, tho-
rax insignem perferit suppressionem, quam postea phan-
tasæ & imaginationi offert, quæ varias hujus molestiæ cau-
sas somniat & à grandi mole sive pondere supprimi & suf-
focari sibi imaginatur, hinc vociferatione, inarticulatà
tamen magnoque cum conatu huic malo frustrà resistit.

IV. *Partem affectam* seu subjectum Incubi, dicimus esse
cerebrum. In hoc enim affectu facultates principes, tum
motrices & sensibiles, valdè læduntur. Afficitur autem
cerebrum vel per se, vel per consensum. Per se, quando va-

pores, qui meatus cerebri obstruunt, quo minus spiritus animales in partes inferiores fluxum liberum habere possint, in ipsâ cerebri substantiâ generantur. Per consensum afficitur, quando vapores obstruentes, non in cerebro sed in partibus inferioribus, utpote hypochondriis, orificio ventriculi superiori, vel aliquo alio membro generantur, ad caput ascendunt, & obstructionem pariunt. *Fernelius* dicit partem affectam non esse cerebrum, sed thoracem, quia nimirum vapores à crapulâ & cruditatibus exorti diaphragma & pulmones comprimunt, & sic respirationem lædunt. Verum quia incubus sæpè fit nullâ præeunte crapulâ aut cruditate, hæ causæ esse, non possunt. Deinde licet dentur ejusmodi vapores, qui diaphragma & pulmones comprimant, tamen non sufficiunt, ut procreent Incubum, nisi simul obstruantur meatus cerebri, qui influxum spirituum animalium ad partes inferiores denegent. Manet igitur pars affecta proxima cerebrum.

V. *Causa immediata proxima* est meatuum posteriorum cerebri obstructio. Spiritus enim animales, ob impedimentum in viis hærens, liberè fluere non possunt, torpescunt, & facultas motrix, ob defectum spirituum, thoraci adimitur, unde gravitas & difficultas respirandi sentitur. Dicunt hic in hoc affectu obstrui posteriores cerebri ventriculos, hoc probant, quia, inquiunt, solum facultas motrix læditur, salvâ manente facultate imaginativâ & sic facultatibus animalibus in ventriculis certas tribuunt sedes nimirum facultati motrici, posteriores, imaginativæ verò, anteriores ventriculos cerebri. Verùm quia alium ventriculorum agnoscimus usum, & cerebri tota substantia pro varietate temperamenti & medii agit, hanc sententiam rejicimus, & illam amplectimur, quæ magis cum natura convenit, nimirum posteriores solum meatus cerebri, per quos spiritus animales ad membra inferiora feruntur, obstrui; Posteriores meatus obstrui patet, quia supini cuban-

ban-

753

bantes maximè huic malo sunt obnoxii, sic enim vapores ad caput facilè ascendere possunt, & meatus aliquo modo angustantur. Obstructio autem hæc est levis, facile enim auferri potest, patet etiam exinde, quia sensus non planè tolluntur, sed saltem torpescunt & stupidi redduntur.

VI. *Causa mediata* est vapor crassus, qui meatus cerebri, ad spinalis medullæ principium tendentes, obstruit. Crassum esse hunc vaporem patet, quia taliter affecti difficulter expergiscuntur, si enim esset vapor tenuis & subtilis, facillimè dispergeretur, & somnus excuteretur. Neque etiam humor, imprimis crassus, lentus ac viscidus causa obstructionis statui potest, siquidem aliàs paroxysmus non ita citò solveretur. Denique nec omnimoda contingit obstructio, ut in Caro; Apoplexiâ similibusve affectibus, in quibus sensus non solum torpescunt, sed planè ad tempus tolluntur.

VII. Generantur hi vapores vel in ipso capite quando scilicet ob cerebri frigiditatem, vapores & humores crassi ac flatulenti in eo abundant, qui post modum spiritus animales ad thoracem tendentes cohibent. Vel generantur extra caput in reliquis corporis partibus v. g. ventriculo, hypochondriis &c. quando sanguis crassus, pituita lenta, aut humor Melancholicus (qui præ reliquis maximè flatuosus) attenuantur, ad caput ascendunt, spiritibus sese miscent, & facultatem motricem lædunt. Quo & vermes in intestinis hærentes referri queunt.

VIII. *Cause remotiores, procatartice & evidentes sunt.*
Aer frigidus & humidus. Hic enim malo huic materiam idoneam subministrando admodum commodus. *Cibus & potus* in nimia quantitate sumptus, item flatuosus: Hic enim quia à ventriculo perfectè concoqui nequit, crudita-
tum

tum causa est: hinc crapulis deditos, & pueros, propter voracitatem præ aliis huic malo obnoxios esse videmus. *Somnus nimius* & statim à prandio vel cenà ceptus præfertim si fiat cum supino decubitu, hoc enim modo, uti supra dictum, vapores facillimè ad caput ascendere possunt. *Mæror & tristitia*, unde Melancholici & literarum studiosi, quia assiduis contemplationibus cerebri vires debilitant, & coctiones quo minus perfectè peragantur impediunt, hoc affectu sæpè infestantur. *Mensium & hæmorrhoidum* suppressio, in illis, quibus fluere consueverunt, lemnis retentione, imò omnis obstructio transpirationem impediens ut cutis nimia densitas. In his enim obstructionibus calor debilitatur & insignes cruditates & flatus generantur, quæ demum cerebrum occupant, & ejus facultates lædunt. Denique *res præter naturales*, quæ corpus offendunt, quales sunt omnes ictus & contusiones capitis, quæ cerebrum offendunt & intemperiem inducunt.

IX. *Causas sequuntur Differentiæ*: alius est per *essentiam* alius per *consensum*. Per *essentiam* Incubus est, quando materia, ex quâ producuntur vapores obstructentes in ipso cerebro generatur, dicitur hic *Incubus essentialis*. Per *consensum* qui fit Incubus est, quando causa non quidem in capite, sed in ventriculo, hypochondriis, vel aliquâ aliâ corporis parte generatur, & propter vaporum ascensum cerebrum in consensum trahit, & Incubonem inducit. Hic dicitur *Incubus per consensum*. Deinde Incubus differt à se invicem ratione causæ efficientis, ubi alius provenit à pituitâ, alius à Melancholico humore, alius à semine turgente, alius ab aliis causis. & hinc etiam phantasmata vel imagines per insomnia hoc in affectu haud parum variant.

X. *Signa alia sunt Diagnostica*: alia *Prognostica*. *Illæ* sunt diversorum generum. *Vel* enim in genere affectum ipsum demonstrant; *vel* locum principaliter affectum

585
etum denotant; vel causas indicant; vel denique
ipsum Incubum cognatis ab affectibus discriminant.

XI. *Ipsum affectum*, ex ipsis ægris dignoscere haud
est difficile. Siquidem plerumque se in somno ab
hoste, Sagâ, spectro aut dæmone pectori & corpori in-
cumbente cum vocis & motus interceptione opprimi
conqueruntur.

XII. *Si est Incubus essentialis*, paroxysmum ut pluri-
mum præcedunt ac sequuntur tinnitus & sonitus au-
rium, vertigo, dolor capitis, & alia malè dispositi cere-
bri symptomata. E contrario verò si per sympa-
thiam contingat, partis principaliter læsæ pathemata
sefe manifestabunt.

XIII. *Causam* seu humorem; è quo vapor ele-
vatur, peccantem monstrabunt nobis phantasmata.
Eo enim, ut plurimum, secundum Avicennam, sunt
tincta colore quo humor peccans. Si igitur fuerint
rubra, Incubus est à sanguine; si alba, à pituitâ, si nigra
& tristia, à Melancholiâ. Si verò malum fiat à tur-
gescentia seminis, insomnia venerea plerunque con-
currunt.

XIV. *A Vertigine* differt Incubus, quia in hoc
non ut in illa visus læditur & omnia in gyrum, ob inor-
dinatum animalium spirituum motum verti putantur,
sed potius denegatio fluxus spirituum animalium in
Incubo lædit. Volunt præterea vertiginem à tenu-
iori: Incubum à crassiori fieri halitu. Præterea *Ca-
rus* fit à materiâ humorosâ: Incubus à vaprosâ. *Ca-
roche* itidem fit quidem à vapore Melancholico conge-
lante, ob cerebri intemperiem frigidam, secundum
vulgatam opinionem: Incubus non tam pertinacem

B

agno

526

agoscit causam, neque solum à Melancholico, sed & quandoque pituitoso aus sanguineo humore, uti supra dictum, ortum habet. Sic & *Apoplexia* fit ab humore, non verò solo vapore, major etiam & vehementior in hac obstructio & motus ac sensuum abolitio. Denique *Epilepsia* est cum convulsione à materiâ acri & stimulante, & ferè vigilantibus accidit: Incubus est à vapore crasso obstruente, absque convulsionibus, & non nisi dormientibus, obtingit.

XV. *Signa prognostica* sumuntur vel ab ipsâ essentiâ Incubi, vel ab ejus causis. Ab essentiâ sumpta signa prognostica sunt: 1. Levis est affectus ratione paroxysmorum, præsertim si rariores fuerint, hinc *Heurnius* dicit: Incubus solubile est malum ratione paroxysmorum, tamen non semper sine periculo incumbit. 2. Levior est qui fit per sympathiam, quam qui per essentiam 3. Minus periculosus est cujus paroxysmi sunt rariores nam si sunt frequentes, & Incubus est inveteratus, magna portendit mala, utpote *Epilepsiam*, *Apoplexiam*, *maniam* & alios hujusmodi graves affectus. Citò igitur, & ab initio huic succurrendum malo, secundum monitum *Aeginetae*.

XVI. A causis desumpta signa prognostica sunt: 1. Parvus est Incubus qui sequitur crapulam & alias causas externas. 2. Si ex succis pituosis aut vaporibus frigore in crassatis fit incubus, in *Epilepsiam*, *Apoplexiam* repentinam aut *Paralysin* facilè convertitur, Si ex Melancholicis, in *Melancholiam* vel *Maniam* degenerare potest; Quandoque & in celèrem cordis suffocationem mutatur, teste *Foresto*. Omnia autem hæc sunt intelligenda, de illis, qui sunt ætatis provectioris, & dum malum non per consensum, sicuti ut plurimum contingit, sed per essentiam in capite originem ducit. Eu-

10. obs. 50

57

Eustach. Rud. l. 1. c. 13. 3. Si post excitationem sudor frigidus, in pectore vel capite oboriatur, si ægri difficulter post accessionem ad se redeant, si cor & pulsus tremuli maneat, si corpus taliter affectis palleat & paveat, maximè periculosus esse solet Incubus, plerumque enim præsentissimum mortis signum est, atque hoc modo non pauci animam exspirârunt.

XVII. Præmissis Incubi definitione, causis, differentiis & signis, jam & *curationem* ipsam ut aggrediamur ordinis ratio postulat. Quomodo autem illa instituenda, dilucidè nos triplex indicantium genus docet. Primum est *Curatorium*, quod ipsum morbum, si-ve causam continentem proximam spectat; hoc in nostro affectu indicat nobis, vapores illos crassos meatus cerebri obstruentes, discutiendos esse. Alterum est *Præservatorium*, quod à causis remotioribus sumitur, hoc demonstrat, humores vitiosos & causas externas, quæ vaporibus ortum & pabulum præbent, averruncandas esse. Tertium est *vitale* quod vires amissas restituendas, præsentis conservandas partes debilitatas corroborandas esse, nos informat.

XIX. *Curatio* igitur vel est ipsius paroxysmi, vel præservatio à paroxysmo. *In ipso paroxysmo* æger paulatim à somno excitetur, & flatus qui symptoma causant, discutiuntur. Hinc necessum est, ut ille, qui hoc malo laborare solet, fidum secum habeat socium, qui illum, cum queri & ejulare incipit, compellatione ipsius nominis, extremorum frictione & ligatura, leviter expergeficiat, item acre suffimigium, ut evitetur suffocationis periculum, & ad nares ad os admoveat caput & pectus elevatum habeat, mediamentum aliquod tenuium partium quod flatus discutere valet, v g. aq. Cinam. Zedoar: Aneth. Spir. Anisi, Fœnic. &c. illi propinet, & aliquantisper à somno prohibeat.

B 2

XIX.

XIX. *Præservatio* à paroxyfmo triplici auxilio-
rum genere perficitur. 1. Chirurgico. 2. Pharma-
ceutico. 3. Diætetico. *Chirurgiam* quod concernit,
omniò & non sine usu in hoc affectu est admini-
stranda. Hinc omnes Practici unanimiter affirmant
phlebotomiam esse adhibendam, si corpus fuerit ple-
thoricum, & si ætas & reliqua indicantia non prohibu-
erint. Quænam autem vena secanda, id docent nos
variæ hujus affectus causæ. Nam si Incubus est à re-
pletionem, & Epilepsia vel Apoplexia timetur, aperimus
vel Cephalicam, vel medianam, vel hepaticam. Si In-
cubus est ab obstructione mensium, Saphena secanda
venit: quæ etiam in viris, post evacuationem, per venæ
incubito sectionem factam; ad revulsionem aperiri po-
test: attestante Beato D. Sennerto. Si malum erit in-
veteratum & contumax, tunc secamus venam in fronte
vel sublinguales, raninas dictas. Phlebotomia si lo-
cum habere nequit, cucurbitulæ ejus vicem suppleant.
Non ineptè apponuntur Hirudines hæmorrhoidalibus.
Fonticuli etiam, si porissimum Incubus erit à serosa
materiâ & essentialis, cruri dextro vel sinistro, vel et-
iam brachiis, propter revulsionem, non sine usu, inu-
runtur.

prax. l. 1. part.
2. c. 28.

XX. Imminutâ, per Chirurgicas administratio-
nes, plethorâ, *Pharmaciam* consulimus, hæc enim in
hoc affectu necessariò requiritur. Hæc docet nos me-
dicamentis accommodatis, 1. Humores peccantes in
corpore esse præparandos, & naturæ ad evacuationem
obedientes reddendos. 2. Legitimis medicamentis è
corpore esse educendos. 3. Cerebrum esse purgandum.
4. Assensum vaporum ad caput esse prohibendum. Et
denique 5. corpus & vires esse corroborandas.

XXI. *Præparantia* Medicamenta indicantur no-
bis ab humoribus peccantibus & in corpore abundan-
tibus

549
tibus. Quia verò ut plurimum Melancholia & Pituita in hoc affectu prædominari solent, utimur talibus medicamentis quæ hos humores peccantes attenuant & incidunt. *Pituitam* igitur peccantem attenuamus & præparamus potionibus ex sem. nigr. Pœon. maris, Primulâ veris, Rutâ, Hyssopo, Betonica, Verbena, Origano, Salviâ &c. Oxymel: simpl. aq. Absinthii, Majora. Buglos. Syrap. Stoech. Menthæ &c. Si peccat *Melancholia* adhibemus Rad. Buglos. Fœnic. Filic. Polypod. fol. Melif. Aupul. Scolopend. Cuscutæ &c. flor. Borrâg Buglos. Stoechad. Viol. Rorism. Citri, pomorum &c. si *sanguis* dominium habet, conducit decoct. Fumar. Lupul. Ceterach. capill. Veneris, Borrâg. Cassutæ, florum cordialium, passularum, sebesten &c

XXII. Præparatis jam humoribus vitiosis, è corpore evacuandi & educendi veniunt. Evacuatio autem illa sic instituenda, ut simul etiam respiciamus ad cor & cerebrum, monente Beato D. Sennerto. Applicantur autem iterum medicamenta convenientia pro varietate & naturâ humorum peccantium.

XXIII. Si igitur abundat *Pituita* utimur medicamentis phlegmagogis, ut: Sem. Carthami, Myrobal. Chebul. Embl. & Bellir. Agarico, Turbith. Elect. Diaphœnic. Elefchoph. pil. Mastich. Cocchiis fœtid. trochisc. Alhandal &c. Quia verò *Pituita* est humor contumax, & unâ vice vix potest evacuari, purgatio est repetenda & eò fortiora medicamenta adhibenda.

XXIV. *Melancholiam* educimus ex lenioribus medicamentis, cum Myrobalanis Indis, Polypod. Epithymo, Senâ &c. Ex fortioribus, cum Elleb. nigro & albo, lapide Armeno, Lazuli, & ex his confectis pillulis, &c.

B 3

XXV.

XXV, Sanguis non solum phlebotomiâ & aliis Chirurgicis administrationibus evacuatur, sed & im- purus repurgatur cum diaetholico, Mannâ, Fumariâ, Electuario de Pfyllio &c.

XXVI. Evacuationem humorum vitiosorum, generalem, sequitur *Curatio sive purgatio cerebri specialis*. Hæc fit variis modis, nimirum frictionibus, Errhinis, Ptarmicis, Gargarismis, Apophlegmatismis. *Frictio* in posteriori capitis parte debet institui, hoc enim modo posteriores cerebri meatus obstructi, revocando calorem ad exteriora, aperiuntur. Confert etiam hinc pectinatio capitis cum pectine eburneo. *Errhina* sunt levia, & fiunt ex fol. Majora: Rutæ, Nicotia: Sem: Nigellæ &c. *Ptarmica & Gargarismata*, quia variis modis componuntur, lubens hinc omisimus, varia possunt videri apud Beatum D. Sennertum, lib. i. prax. part. i. cap. 10. Ex *Apophlegmatismis* eligimus ea, quæ caliditate & acrimoniâ suâ humores fundunt, qualia sunt: Sem. Anethi, Erucæ, Hyslopi, Origani &c. Rad. Cappar. Valerianæ, Lauri, Cubebæ, &c.

XXVII. *Flatum ad caput ascensum* prohibent, Diacotoneum, Coriandrum aceto maceratum. sem, Anisi, Galang nux Mosch, cum sacharo rosato in tabulas confecta. Confert etiam huc lotio pedum paulò ante cubitum administrata.

XXIIX. *Corroborantia* alia interiùs assumuntur, alia exteriùs appenduntur. *Prioris* generis sunt: Theriaca, Mithridatium, Confect. Alkermes, sp. Diambræ, Plirisarchont: Conserva Rorismar: Calendulæ, Lavendulæ, &c. Specificam corroborandi vim habere dicitur, Semen Pœoniæ nigrum maris, si scil. gr XV. terantur, & cum aq. Pœoniæ quatuor horis ante prandium

dium

dium exhibeantur. *Posterioris generis, alia agunt*
vi quada m. occulta alia vero manifestâ. Qui occultè
agunt, sunt Rad. Pœon. de colle suspensa, corall: ru-
bra, Lap. pyrites, Chrysolites, Gagates, Malachides.
Manifestè agunt sacculi cordiales & arteriales cordi &
regioni pulsuum applicati. Tales conficiuntur ex fl.
Bugloss. violar. Rosar. fol. Melis. quæ vino albo & aq.
Melis irrorentur, cordiq; applicentur. Caput illinia-
tur Ol. Mastichino, Anethino, vino calido. Venti-
culus itidem & pectus inungatur oleo Chamomelino.

XXIX. Quia verò & Infantuli hoc malo sæpè
infestantur, in somno enim sæpè pavent, gemunt
& quassantur, exsuscitati atrociter ejulant, studendum
est, quomodo & hi hoc malo liberentur. Caven-
dum igitur ne statim à cibo lecto committantur, sed ali-
quandiu hinc inde gestentur, donec cibus prorsus ad
fundum ventriculi fuerit descensus. Cibus sit abs-
que omni noxa & facilis coctionis, & parcior, abstine-
ant à vino. Si purgandi veniunt, fiat melle rosato,
mannâ, aut simili leni pharmaco. Corroborationis
gratia exhibeatur pulv. ex rad. Pœoniæ, Margarit. Co-
rall. venter foveatur decocto Absint. & rosarum rubr.
cum vino rubro.

XXX. *Dieta* consistit in rerum non-naturalium
recto usu, quomodo igitur Ephialtici his uti debeant,
jam dicendum est. *Aer*, primò, sit moderatè calidus
& humidus, nullis inquinamentis, vaporibus tetris, ven-
tis aut fumo invecus, vitet æger; æstum solis & radios
Lunæ. *Cibus* sit tenuis & attenuans omnibus expers
flatibus, facilis coctionis & boni succi, cibum non nisi
larrante stomacho sumat. In pituitâ peccante,
Hyssopo, Serpillo, Satureiâ &c. In Melancholiâ fl.
Buglos. Borrag &c. *Potus* sit cerevisia, tenuis nec fla-
tuosa.

tuosa. Vinum moderatè sumptum, assuetis concedi potest. Interim generosius vinum diluatur, & crapula studiosissimè vitetur. *Somnum* meridianum fugiat, Cubitum non eat, nisi duabus vel tribus horis à cœnâ interpositis, tunc enim cibus ad ventriculi fundum dilapsus est. Decubitus non sit supinus, hoc enim modo caput gravatur; sed secundam sanorum decubitum sese dirigat, scilicet in dextro vel sinistro latere cubando, reductis paulatim manibus & cruribus. Ad lectum, ægri suspendantur, vel humi sternantur radices *Pœoniæ Majorana, Thymus, Ruta, Lavendula, Rosmarinus, Pulegium, Mentha*, secundum *Beatum D. Sennertum*. *Motus* sit Moderatus. Tristitiam & Mœrorem propellat, Venereas & turpes cogitationes prorsus releget, Venus ante primum somnum non exerceatur, Alvus semper sit aperta, & reliquæ excretiones justo fiant tempore, & si natura eas non expedit, arte promoveantur.

prax. l. i. part.
2. cap. 29.

XXXI. Finità hujus affectus brevi consideratione & curatione, in quâ consultò speciales remediorum formulas omisimus, cum eæ ubique apud Practicos obviæ sint, *Deum Ter opt. Max.* devotè precamur, ut non solùm à corporis, sed & animæ malis nos tutos & incolumes benignè præstare velit. cui sit

G L O R I A.